

borant. Sint verò æquæ dulcis, modicè calida, ac convenientibus herbis præparata, quibus in labro infideat. Sudorifera verò his conveniunt minimè, cum corpora magis exiccent ac debilitent.

Ne tamen in his omnibus severiorem exerceamus disciplinam; sed consuetudini appetuiq; interdum aliquid concedamus, Hippocr. aphor. aliquibus s. 2. nos monet; præcipuè verò 38. dicit: Paulo deterior & potus & cibus, suavior tamen, meliori quidem, sed insuaviori præferendus est: & 50. Consuetudo longo tempore, etsi deteriora sint, insuetis minus molesta esse solent: quibus etiam Sennert. Paralip. 9. adinstitut. Calculum suum addit, egregieq; de consuetudine differit. Plura in hanc rem facientia, qui habere vult, exquisitamq; horum omnium rationem sibi dari desiderat, adeat Observ. Petr. For. l. 10. obs. 15. & seqq. Consil. med. Scholtz. 175. & seqq. Solonandr. Brünnner. conf. 7. & seqq. Horst. l. 3. ep. s. 4. & 5. Job. Freytag, tract. german. & c.

APHOR. XIV.

Indicatio præservatoria in causæ antecedentis, seu mineræ morbificæ correctione & ablatione est occupata, variosque Medico suggerit scopos, omni auxiliorum genere peragendos.

χολιον.

Quâ ratione quibusq; præsidiiis immunem se ab affectus hujus insultu præstare quis possit, ac quæ in præcavendo eo maximè sint observanda, jam diximus; ex quibus quæ & huic indicationi infervire possint, petantur. In hac enim solum ea, quæ causam, seu mineram jam præsentem, pharmacorum usu, ac manuum operâ corrigere ac tollere possunt, prosequemur. Si enim istis præsidiiis sanitas tueri ita non possit, ut omnis avertatur noxa; vel eorum neglectu causa ac minera hujus affectus colligatur; illi corrigendæ Medicus alia adhibere remedia debet. Omne verò humorum vitium, secundum Medicorum vulgatam sententiam; ut Senn. l. 2. inst. p. 2. c. 3. docet, IN PLETHORA AC CACOCHYMIA cum consistat. ILLA V. IN PURAM, in quâ purus tantum sanguis quantitate abundat, accorpori molestus est, & NOTHAM, quæ admistis aliis humo-

numo-